

ferebat mihi exemplum Rhetici, curamque eius ad vnguem meam similiter curiosam, & increpantem pro se Copernicum. Epistola est Rhetici Ephemeridi anni 1551. præfixa, quæ quia non passim est obuia, & totum hoc caput multis locis mirificè iuuat, præcipua inde pro colophone huic capiti subiungam. Sic igitur Rheticus ad lectorem inter cætera. *Suas autem (Copernicus) exquisitiones mediocres, non nimias esse voluit. Itaque consultò, non inertia aut tædio defatigationis, eas comminationes vitauit, quas nonnulli etiam affectarunt, & sunt qui exigant, qualis est Purbachij in Ecclipsium tabulis subtilitas. Videas autem quosdam in his omnem curam ponere, vt planè scrupulosè loca siderum scrutentur, qui dum secundanis, & tertianis, quartanis, quintanis minutijs inhiant, integras interim partes prætereunt, neque respiciunt; & in momentis τὸν φαινομένων sæpe horis, non etiam nunquam diebus totis aberrant. Hoc nimirum est, quod in fabulis AEsopiciis sit ab eo, qui iussus bouem amissam reducere, dum auiculis quibusdam captandis studet, neque his potitur, & boue etiam ipso priuatur. Recordor cum & ipse iuuenili curiositate impellebar, & quasi in penetralia siderum peruenire cupiebam. Itaque de hac exquisitione interdum etiam rixabar cum optimo & maximo viro Copernico. Sed ille, cum quidem animi mei honesta cupiditate delectaretur, molli brachio obiurgare me, & hortari solebat, vt manum etiam de tabula tollere discerem: Ego, inquit, si ad sextantes, quæ sunt scrupula decem, veritatem adducere potero, non minus exultabo animis, quàm ratione normæ reperta Pythagoram accepimus. Mirante me, & annitendum esse ad certiora dicente: huc quidem cum difficultate etiam peruentum iri demonstrabat, cum alijs, tum tribus potissimum de causis. Harum primam esse aiebat, quòd animaduerteret, plerasq; obseruationes, veterum synceras non esse, sed accommodatas ad eam doctrinam motuum, quam sibi ipsi vnusquisque peculiariter constiuisset. Itaque opus esse attentione & industria singulari, vt quibus aut nihil, aut parum admodum opinio obseruatoris addidisset, detraxissetue, ea à corruptis secernerentur. Secundam causam esse dicebat, siderum inerrantium loca à veteribus non vlteriùs, quàm ad sextantes partium exquisita: Et secundum hæc tamen præcipuè errantium positus capi oportere; pauca excipiebat, in quibus declinatio sideris ab æquinoctiali annotata rem adiuuaret, quod de hac locus ipse sideris certius constitui iam posset. Tertiam causam hanc memorabat: Non habere nos tales aucthores, quales Ptolemæus habuisset post Babylonios & Chaldaeos, illa lumina artis, Hipparchum, Timocharem, Menelaum, & ceteros, quorum & nos obseruationibus ac præceptis niti ac considerare possimus. Se quidem malle in ijs acquiescere, quo-*

quo-